



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 82. Colloquium per Catholicos dissolutum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul. XVI.
A.C. 1559.

§. LXXXII.

Colloquium per Catholicos dissolutum.

*Burnet l. 3.
p. 578.*

Sparsa hujus colloquii fama pene innumera hominum multitudo confluebat, ut de rebus ibidem gerendis testes agerent: cum igitur dies huic disputationi præfixa appropinquaret, Viacomienſis Episcopus Catholicorum nomine exponebat, quod eorum rationes nondum plene essent instructæ, proin interea Colus Doctor verba facere posset, si eum excipere luberet. Annuentibus cunctis hic perorans rationes proferebat, ob quas Ecclesia Officium Divinum latino sermone peragi voluit, exposuitque hujus usus antiquitatem, necessitatemque, ob quam hunc morem dimittere haud expediret. Hæc rationes Protestantium nomine Hornius refellere nitebatur; cum vero post hæc disputationis auspicia Catholici serio perpendere cœperant, quod adhibito omni conatu, ne vera Religio ex Anglia eliminaretur, præpedire haud possent, cum Regius Senatus, qui pro summo imperio rem moderabatur, ac spuriam hanc reformationem invehere decreverat, semper prævaliturus esset, hinc inter eos conventum, ut suarum rationum apographa hæreticis minime trade-

traderent, eo potissimum nomine, quod Sæcul. XVI.
A. C. 1559.
Regina, cum ejusmodi colloquium præciperet, jamjam principalem prætensi sui Primatus functionem, quam tamen impugnaturi convenerant, exerceret, ac merito omnibus timendum esset, ne eadem Regina, ejusque Senatus pariter fidei controversias definiendi auctoritatem sibi arrogaret. Denique Viacomienfis, & Lincolnienfis Episcopi contendebant, quod de Doctrina Catholica, cum jamjam plane esset definita, nonnisi in Synodo ex Judicibus Ecclesiasticis congregata agere liceat. Itaque perpensis hisce rationibus Catholici hoc colloquium dissolvebant: Senatus vero ex hac dissensione occasionem aucupatus edictum condidit, vi cujus æqualis ritus in Ecclesiæ Officio decernebatur.

§: LXXXIII.

Altercationes de restauranda Eduardi Liturgia.

Attamen, cum Eduardi Liturgiam re- Burnet l. 3.
p. 580.
staurandi modus communis Curiae

Patribus minime probaretur, hi aliam conceperunt formam, quam Curiae Superioris Senatoribus exhibere voluerunt: ast illam quoque prolixo admodum sermone Heathus Eboracensis Archiepiscopus confutabat, præcipue illas con-

dem-